6

SEBASTIANI SEBENICO

FOROJULIENSIS

DISSERTATIO

PHYSIOLOGICA,

Qua respiratio fetus in matrice ex eventu nupero evincitur esse nulla.

VENETIIS

MDCCLXV.

TYPIS COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRONÆ PRÆNOBILI

CATHARINÆ BARBADICO

SEBASTIANUS SEBENICO

F.

T*Anta ſunt animi ornamenta, ac dignitatis inſignia, quibus emines nobilitata, MATRONA AMPLISSIMA, ut nunquam mirari ſubeat obſervantiæ erga Te ſummæ congeſta undique*

testimonia prodire. Porro præ ceteris exſtat, & ſuſpiciendus eſt favor ille, quo litterarias res excipis, earumque latius explicandarum cupiditate flagrantes erigis: ac ſenſu Tuo eximiis artibus expolito ea premi cogis, quæ impiger, improbuſque labor non elimarit. Præſtantiſſimæ virtutis hujus ſpecie mihi obverſante perductus ſum ad nuncupandam, inſcribendamque illuſtri Tuo Nomine diſputationem hanc meam, quam typis exſtare lubet, & cui ſolum judicium Tuum non ſevere quidem, ſed benigne latum tanto eſſe poteſt honori, ut non opus ipſi futurum ſit aliunde corrogare ſuffragia. Occaſionem diſſerendi arripui ex ſucceſſu novo, cujus ab hiſtoria tradita illud pateſieri moneo, quo

val-

valde retruſo antea ac dubio torqueri ſe hactenus ægre tulerunt Anatomici diſciplinæ ſuæ limites prætergreſſi. Alia etiam attigi, inſtitutæ orationi oblata ſponte cauſa, ad idem doctrinæ genus pertinentia, quæ licet imperfecta videantur, præcipua tamen rerum capita complectuntur. Non hic excolendarum artium deſinam, ſed alacrius aſſequar devota Phœbo pectora, ſi leve hoc officii ſtudiique mei ſpecimen à Te probari ſenſero, NOBILISSIMA MATRONA, *cujus humanitati non infrequens eſſe ſolet ſui expromendi locus.*

Postridie Kalendas Septembris proxime elapsi hora ante Vesperam tertia intra hujusce meæ D. Marci Paræciæ fines in lucem prodiit infantula altero lumine carens, nec non ore expers & naribus, aures habens inferius, quam esse solent, circaque mentum rubicunda; quæ lucis ipso in limine satis indubia vitæ exhibens argumenta unda Sacri Fontis abluta e vivis concessit. Atque hæc me infrascriptum his vidisse oculis, & jurisjurandi religione interposita obtestor.

Mich. Angelus Salvetti
Plebanus S. T. D.

Datum ex Ædibus Parochialibus S. Marci Evangelistæ Corbulonis Idibus Octobris A. 1765.

DISSERTATIO
PHYSIOLOGICA.

QUæ de ſcientia corporum comparanda tradidit ſuperiore ſæculo Galilæus hortatus ad uſum ſenſuum tamquam naturæ nuncium, ea etiam ad diſciplinam ſalutarem, cujus objectum delibatio quædam eſt ſyſtematis univerſi, traduci poſſunt. Siquidem ut in priori ablegatis opinionibus, in earumque locum obſervatione ſuffecta certæ leges innotuerunt, ad quas referri poſſent effectuum quæque genera, ita partium multiplicium, ex quibus hominis ſtructura coaleſcit, perſpicientia & evolutio novam induxere lucem iis, qui œconomiæ animalis indagini ſeſe penitus addixerunt. Hinc videre eſt Phyſiologiæ tractatores eo ſubolere melius veritatem atque rationem, quanto fidelius utuntur Anatome miniſtra. Ab ea doctrina fermentationes, ſympathiæ, aliæque hujuſmodi facultates omnes, quas commenti erant veteres, ut docerent originem fluidorum omnium, quæ ex ſanguine varias ad partes allabente gignuntur omnino

va-

varia, exularunt poſtquam cordis fabrica, vis, & actio, circumeuntis jugiter ſanguinis inventum, arteriarum ortus, robuſtæ tunicæ, præditæque elaterii vi non exigua, ipſorum viſcerum ſtructura expenſa cauſam oſtendere certam ſecretionum quarumvis, quæ ſola natura duce in humano corpore adminiſtrantur. Sed ut ut, facem allucente fabricæ intellectu, doctrina de uſu partium longius ac melius promota fuerit; haud tamen ſingularum munera detecta ſunt. Siquid autem in re aliqua plane obſcura temere pronunciatum eſt, capta aliquando pericula peſſumdant opinionem. Contra vero accidit non nemini dubias res, quæ investigatione magis, quam præmaturo judicio tractari ſolent, miris interdum decernere, ac noſſe modis. Sic avulſis de induſtria ex bruto nonnullis ex viſceribus, vel etiam iiſdem læſis in ipſis hominibus inflicto vulnere, num utile modo, an vero vitæ omnino neceſſarium ſit viſcus aliquod, deprehenſum eſt; ceteriſque paribus, vel ſecus admodum ſeſe habentibus, in proclivi poſitum eſt internoſcere, num diverſo, vel excogitato munere fungeretur. Perturbationem hanc ordinis, numerique partium imminutionem, quibus excitandis induſtrii homines incubuere, ut inde quæſita veri-

tas

tas elucesceret, non semel & ipsa natura induxit. Quare ex iis etiam rebus, quæ nullam præ se ferunt pulchritudinis speciem, sed tamquam imperfectæ & informes omnino negligendæ videntur, diligenter expensis utilitas, quod ad scientiam attinet assequendam, exoriri potest longe maxima, quemadmodum palam fiet infra de monstro quodam recens in lucem edito, cujus historia sequitur accurata.

Die secunda Septembris, anno hoc labente septingentesimo sexagesimo quinto supra millesimum, Corbulone, quod rus ad Forum Julii pertinet, & proximo Liquentiæ flumine sejungitur a territorio Tarvisino, mulier quædam ignobilis intra tempus legitimum & ordinarium enixa est puellulam ab alta quidem thoracis parte ad imos usque talos optime fabrefactam, sed instrumentis sensuum præstantissimis partim carentem, partim vero deformiter instructam. Ipsa potissimum structura capitis abnormis erat & insolita, quia superficiem exteriorem non bene convexam in conspectum dabat, sed os quidem occipitis omnino planum, parietalia autem ossa, sincipitis quoque dicta valde elevata; os demum frontis seu coronale in media sui parte tubere non exiguo ac duriusculo designatum. Au-

riculis

riculis aderat figura naturalis, cum nec lobulus deeſſet, nec Helix, aut Anthelix, Tragus, aut Antitragus, nec quidquam aliud: mediam autem & intimam aurium partem introſpicere non erat. Hujuſce organi tametſi numerus & figura externa cum ceteris humanæ ſpeciei animantibus ad unguem convenirent, ſitus tamen inuſitatus erat, & ſingularis. Adhærebat enim auris utraque hinc inde tertiæ trunci parti, ſeu collo, penes eminentiam poſteriorem maxillæ inferioris. Unicus exſtabat oculus, iſque ibi affixus, ubi radix naſi ſita eſt in aliis, figura fere globoſa præditus, ſupercilio, palpebriſque duabus, aliiſque partibus externis omnibus abſolutus, ac ſponte patens: neque abſurdum eſſet ſuadere ſibi latuiſſe alium ſub media frontis elata parte, quæ digitis admotis globum quemdam exhibebat mole ac renixu bulbi ocularis æmulum. Deerat omnino organum olfactus, facieique pars ab ipſo occupari ſolita glabra erat, & nullibi delineata. Maxillæ porro ambæ arcte inter ſe nexæ, atque in unum quaſi corpus concreviſſe videbantur, cum non altera ab altera removeri poſſet, neque id experiri liceret immiſſo cuneo in buccam, quæ nulla erat. Mentum operiebat macula quædam colore notanda rubro,

lati-

latitudine perangusta, pariterque longitudine duos præter propter transversos digitos exæquans, foraminis cujuslibet ut ut exigui prorsus expers. Partus hic certe singularis prodiit, ut alii solent, statim ab ipso exitu indicia vitæ exhibens indubia per repetitos motus, adeo ut subierit ab obstetrice lavacrum expiationis, antequam oppetierit; quod paullo postea fecit lividis maculis in extima superficie ubique infectus. Asservandi monstrum hoc mihi cupido tempestas obstitit intempestive fervida, quæ putredinem induxisset, antequam adire potuissem Viros summos, qui salutis injuriis avertendis providentissimo consilio præsunt. Attamen sola consideratio descripti corpusculi nos quodammodo manuducit ad eliciendam veritatem aliquam non inopportunam. Ducat spiritum fetus in utero, nec ne, semper dubitatum fuit, & adhuc, ut neminem fugit, sub judice lis est. Etenim membranæ plures ipsum fetum quasi in ovo includentes in causa fuerunt, cur nonnulli nihil omnino aeris in iisdem contineri arbitrati sint. Horum sententiæ suffragatum est captum deinceps de viscere respirationi destinato experimentum, quod ostendit pulmones ex non natis eductos injectos aquæ fundum petere, & ex adverso. Cujus quidem

dem discriminis non alia esse ratio visa est, quam quod in pulmonibus fetuum, qui semper collapsi & nigricantes reperiuntur, nullus sit aeris dilatantis alternus motus, qui perennis in adultis horum pulmones superficie augeat ita, ut aqua fiant specifice leviores, ideoque aquæ immersi ex Hydrostaticæ legibus innatent eidem fluido. Demum humores etiam jugiter expressi a membranis duabus, Amnios & Chorion dictis, & præparatio sanguinis perfectissima in materno corpore ansam dederunt ad existimandum interdici fetui respiratione in utero tamquam fieri impote, vel supervacanea. Contra vero, perhibente non nemine præmortuis matribus exiisse vivos infantes adjutos arte chirurgica, colligere inde posse sibi visi sunt alii cieri pulmones fetuum reciproco illo motu, qui, si solus esset in matre, semel in ea interceptus illico ipsis etiam animam interclusisset. Favet opinioni huic tanta respirationis necessitas ad vivendum, ut motus ille præter alios pro vitæ indice haberi soleat. Quare Dantes Alighierius naturæ pictor eximius, cum adiisset, Virgilio duce, manes inferos, viventem se ipsis admirantibus patuisse ait afflatu fistulæ spiralis. At quantumvis habeant ponderis ea momenta rationum, quæ

de

de re ancipiti inclinant ad affirmandum, rem ipſam contrario modo ſe habere novus hic eventus non ſolum monſtrat, ſed omnino demonſtrat. Neque vero nunc primum accidit, ut opinio, quam veriſimilis fulciebat ratio, convellatur a facto quopiam, ſed ſæpe alias. Id ad oſtendendum multa præſto eſſe poſſent non uno ex fonte petita exempla: ſed, ut vineta cædamus noſtra, ſatis eſt ſibi ponere ante oculos ipſum uterum, qui cum graviditatis tempore valde dilatetur, tantundem tenuior fieri putandus eſſet. Corpus enim animatum ſimul ut ad maximum ſui incrementum pervenerit, nihil quidquam excreſcit; ſecus enim augeretur in infinitum. Præterea autem ſi uterus in gravidis mole & craſſitie creſceret, nutriente fluido ipſi eſſet opus, ideoque duplex a matre diſpendium ſanguinis ſubeundum eſſet; quod tamquam improprium & grave nimis ipſa ratio rejicit. Hæc fortaſſe perpendens vir non expers doctrinæ Mauriceau in ſuo de morbis mulierum gravidarum inſcripto opere & idiomate Gallico exarato diſertis verbis affirmat uteri ſubſtantiam in gravidis tenuiorem fieri, quam in non gravidis: fieri quippe non poſſe, ut ultimis præſertim geſtationis menſibus tantopere

exten-

extendatur, quin craſſitie minor evadat. Denique affluxus ſanguinis ad uterum, qui magna copia fit tempore partus, craſſitiem aliquam, ſiquando deprehenſa eſt, gignere fortaſſe potuit, ceteroquin extra tempus illud omnino nulla eſſe videtur. At tantus doctrinæ apparatus haud quidem negotium faceſſit veritati contrariæ, cum Laurentius Heiſterus mulieres perplures vario tempore graviditatis morte præreptas exploraverit, inſpectumque uterum nunquam ſolito tenuiorem nactus ſit. Imo vero non idem modo deprehendit etiam Deventerus, ſed interdum repertus eſt uterus craſſior in gravidis, quam in mulieribus, quæ nullum geſtabant fetum; atque experimenta hæc prorſus indubia placitum ut ut veriſimile exterminarunt. Haud abſimili modo partus hic recens admirabilis de medio tollit opinionem de reſpiratione fetus in utero, tametſi pro ipſa tuenda nonnulli veluti pro aris & focis dimicarint. Cum enim deeſſent illi foramina ambo, quorum alterutrum inſpirando emittendoque aeri neceſſarium eſt, ne excogitari quidem, nedum eſſe poteſt modus ullus, quo alternus pulmonum motus exerceretur. Neque vero aures poſitas extra locum, cervicique adnatas exiſtimare quiſ-

piam

piam poteſt deficientis utriuſque organi vicarias ſucceſſiſſe, quippe quæ inſpicienti non ultra auditorium meatum apparerent patulæ, nihilque emittere viſæ ſint iis, quibus obtigit ipſius monſtri vitam fidelibus oculis internoſcere. Color etiam lividus extimam ejus partem inumbrans ejuſmodi erat, qualis inficit exorientes ex intercepta anima. Quemadmodum porro & alii, qui aeri excipiendo per os, aut nares patent, cohibentes animam ad breve tempus in vita perſtare poſſunt, ideo inde factum eſt, ut informe etiam animal, quo de agimus, reſpirationis expers vitam agere potuerit aliquandiu, quod feciſſe ipſum auctor eſt mulierum puerperæ aſſidentium conſenſus, quæ mortem metuentes nimis proximam cenſuerunt hanc illico antevertendam eſſe ſacris luſtralibus aquis abluentibus. Etiamſi autem veniat in mentem ſuſpicari infantem hanc ex utero exiiſſe mortuam, non ideo tamen id, quod collegimus, convelli poteſt. Cum enim licet haud teres, incorrupta certe prodierit, indicio eſt vixiſſe ipſam paullo antea in materno hoſpitio. Suſcepit ibi incrementum mediocre, & reſpiratione adjuvante nulla eodem ordine proceſſit, & exiit, quo fetus alii; ſupervacaneum igitur omnino eſ-

ſet reſpirandi munus ipſis adjudicare. At
enim: quod præter naturam accidit nihil
commune habet cum iis, quæ ſecundum
naturam ſunt, proptereaque peculiaria mon-
ſtrorum adjuncta non ſunt rebus aliis apte
compoſitis affingenda. Hæc qui in medium
affert, ſi ſibi conſentire velit, & ea ever-
tere, quæ ex deſcripto partu deducta ſunt,
affirmet neceſſe eſt abnormem ejus ſtructu-
ram ab intercepta reſpiratione fuiſſe indu-
ctam; ſi enim hæc ſublata nullam affer-
perturbationem, fruſtranea ideoque null
habenda eſt. Ab ejus autem defectu deri-
vare ſingula conformationis vitia, quæ in
allata hiſtoria ſunt enarrata, ſollemnia eſ
inſanire. Momenta itaque rationum, qua
admittendam inculcant reſpirationem fetu
in utero, ſua ſponte corruunt palmario op
poſitoque eventu labefactata. Stabunt e
adverſo tamquam naturæ interpretes ratio-
nes omnes, quæ contrarium prædicant
quæque ad trutinam revocatæ multum pon-
deris habere inveniuntur, vel non attent
nupera veritatis præmonſtratione. Quin per
ſitemus ſingulas, ſatis eſt ad eam animum
advertere, quæ foramini ovali dicto inni
titur. Cum enim in non natis detecta fue-
rit a ſollertibus Anatomicis via quædam
ab auricula cordis dextera prope ſupra or-
ficium

ficium dexteri ventriculi patens, ac pergens ad truncum venæ pulmonalis, idemque aditus in adultis penitus occludatur, merito inde deductum est factum fuisse a natura in fetibus rectum hunc sanguinis transitum a corde dextero ad lævum, ut difficultas progressus in interpositis aliis viis obeunda evitaretur. Porro interjacet sola pulmonalis arteria, ideoque ex hac orire- tur obstaculum. At ingressui, processuique sanguinis arteria ipsa resistere valde potest ex sola adjecti visceris oppressione; collapsi igitur jugiter, nec unquam distenti aere pulmones fetuum dicendi sunt. Siquidem autem de ovali foramine facta mentio est, præstat animadvertere, licet natis animantibus statim evanescat eo, quia, ut strictim ac vere more suo inquit Boerhaavius institutionum medicarum parte prima, sectione de conceptu, simul ac fetus aeri exponitur aperit glottidem, thoracem dilatat, aerem admittit, pulmones in omnem mensuram explicat, vasa horum auget, resistentiam horum contra sanguinem arteriæ pulmonalis minuit, unde hic impetu in vasa libera irruit, canalem arteriosum prælabitur, copiosus ac velox in venam pulmonalem ruit, valvulam foraminis ovalis premit, & foramen claudit; præstat in-

quam animadvertere foramen ipſum in humano hoc miro corpuſculo etiam poſt exitum ex utero patuiſſe. Quamquam autem id inciſione, uti fieri ſolet, ex defectu periti viri compertum non eſt, poteſt tamen certo certius ratiocinando colligi. Cum enim deeſſet undique aditus ingreſſuro aeri, nulla certe fieri potuit aereorum canalium dilatatio aut erectio, nullumque propterea obtigit arteriæ pulmonali levamen, a qua idcirco prohibitus ut anteà ſanguis rectum ire perrexit ad ſiniſtram cordis partem. Demum ex intercepta reſpiratione perſtitiſſe apertum foramen hoc inde quoque patet, quod in adultis ex ſublata ducendi ſpiritus facultate mortuis reſeretur, quemadmodum in ſubmerſis reperiiſſe ſe non nemo affirmat. Atque hactenus illud attigimus, quod ſub initio propoſueramus, viam præmonſtrante inſolito naturæ opere, a quo pariter aliud aliquid edocemur ad phyſiologicam pertinens doctrinam. Fetum adhærere matri per uterina vaſa placentæ adnexa, ex eaque in unicum quaſi corpus aſſurgentia funiculum umbilicalem dictum, qui revere umbilico fetus inſigitur, omnes norunt. Venam porro umbilicalem ad ipſum fetum deferre ſanguinem nutritioni neceſſarium hæmorrhagia in abortu,

tu, partu, vulnere inflicto mulieri gravidæ, aliique successus diligenter animadversi docuere satis. At ejusmodi sanguinem usui eidem non inservire solum nonnulli putant, sed ultimis præsertim mensibus gestationis accedere lymphaticam nutritiam materiem in uterinis vasculis præparatam adeo subtilem factam, ut ex meatibus uteri in poros chorii agatur, in ejus vasis iterum mutetur, in amnii canaliculos abeat, ibi ulterius perficiatur, in cavum amnii instillet, indeque a fetu hauriatur ore, deglutiaturque; ac id affirmat etiam præfatus auctor ad eumdem locum. Cum enim lymphaticum hoc fluidum revera existat, ac si soli vaginæ ductui lubricando inserviret, ut partus facilior fieret, perstaret otiosum diu, ideo alio etiam fungi munere putandum est. Fulcit opinionem hanc observatio accurata Friderici Hoffmanni, qui vidit infantem perfecte natum, etsi ejus umbilicalis funiculus putredine totus corruptus esset. Siquidem sublato sanguinis trajectu per ordinariam viam a maternis vasis ad fetum, nullo modo hic sospes ulterius esse potuisset, nisi aliunde nutrimentum aliquod accessisset. Quia vero præter sanguinem non alius humor penes uterum adest, nisi qui in ipsius vasis secernitur, merito hic etiam

nutritioni fetus inservire existimatus est. Ad eam rem quoque facit deprehensus a clarissimo Petito funiculus humani fetus in medio nodulum habens iter affluxuro sanguini præpedientem, cum tamen nullum inde detrimentum ipsi fetui fuisset allatum. Denique Laurentius Heisterus Anatome comparativa edoctus ori, œsophago, ventriculo, & intestinis humanorum etiam fetuum inesse putat eam humoris lymphatici copiam, quæ cum ex secretione peculiari earumdem partium minime derivari possit, a circumpositis membranis exprimi credenda sit, siquidem qualitates ejus toti fluido, cui fetus innatat, sunt affines. Hæc omnia, quæ tum ex experimentis illata, tum ex illustrium virorum placitis confirmata hactenus indubia visa sunt, recens monstrum infirmat, eademque increpat ut minus vera. Etenim ubi nullus aderat oris sinus, vel alius quispiam succenturiatus, nullum afferri poterat lymphaticum fluidum, propterreaque sanguis per umbilicalem funiculum trajectus nutritioni, non alio comite, satis erat. Porro quæ vitia infantem nuper editam deturparunt, embryonis rudimenta prima susceperunt, non autem perfecta fetus fabrica progressu temporis incomposite perturbata, ideoque infans

ſans ipſa nunquam inhiavit externum liquidum, cujus expers cum ad maturitatem pervenerit, indicio eſt unicum ſanguinem aliunde allatum nutriendo fetui eſſe neceſſarium. Præterea vero animadvertendum eſt inſoliti hujuſce partus magnitudinem mediocrem fuiſſe, neque ceteris minorem, adeo ut merito poſſit inde colligi ne prodeſſe quidem, nedum eſſe neceſſarium fluidum hoc, cujus defectus non officit enutriendo corpori. Quoniam autem id, quod neque neceſſitas efflagitat, neque utilitas poſtulat, ne latum quidem unguem efficiendis aut conſervandis rebus inſervit, ideo prædictus humor pro incolumitate fetus in utero nullam præſtare ſymbolam putandus eſſet, ne injurii videremur ſupremo naturæ conſilio, cujus eſt nunquam moliri aliquid ſupervacuum. Sed quamquam novitatis amor abſterret adeo animum ab iis omnibus, quæ terris ſemota, ſuiſque temporibus defuncta videt, ut ſiquid habeant poſterius inventa cum ipſis commune, prætervolare ſoleat tamquam inſuave, attamen veritati ſtudentes magis quam genio nihil linquemus intentatum, ut ea, quæ antea hac de re vere diſſerebantur, toties memorati monſtri adjunctis ad amuſſim reſpondeant. Operæ itaque pretium eſt attendere

animo ad eas aquas, quæ partum præcurrunt ex abruptis membranulis prosilientes, quasque puerpera insolitum enixa fetum tanta copia effudit, ut metum incuteret obstetrici, ne fetus ipse submergeretur, antequam erumperet; etenim nimia hæc aquarum emissio argumento esse potest plus æquo ipsas excrevisse ex retento alio fluido, cujus erat alium subire locum, qui tamen ex errore naturæ inaccessus factus coegerit ipsum in circumposito quasi vestibulo. Minor ex adverso aquarum copia, quæ partus alios antecedunt, evincere videtur non omne fluidum, quod in uterinis vasculis secernitur ac præparatur, in subjectis membranis amnios & chorion immorari, sed partem ejus non mediocrem appositi fetus patulas subire vias, ibique usui esse non inopportuno. Veritati igitur hac in re satis erit factum, si lymphaticus ejusmodi humor latos canales fetus adire existimetur, vel ut nimia absit ab utero distensio, vel ut quidpiam aliud eveniat utile tantum, non vero necessarium, siquidem ipso carens mirabilis infans, ac solo sanguine per umbilicalem funiculum delato opem ferente nullum, quod ad nutritionem attinet, passa est sui corporis detrimentum. Tertium quoque est aliquid, quod ex hoc ipso eventu con-

confectarii loco colligimus, quodque coronidem imponet orationi. Qui actiones principes humani corporis tum utrique sexui communes, tum proprias & peculiares evolvunt, & singularum causas internoscere conantur, versantes in iis, quæ ad conceptum & ortum attinent, multimodis investigarunt, cur inclusus utero fetus dato tempore in lucem prodeat. Misere quæstionem hanc absolvisse veteres dicendi sunt, qui cum comminiscerentur qualitates quasdam veluti administras corporis humani, in ipsis acquiescebant, indeque nectebant omnia. Licet id inter alios experiri apud Lazarum Riverium virum de morborum quidem historia tradita optime meritum, at in explicanda œconomia animalis minus accuratum, qui Physiologiæ suæ sectione septima, capite quinto, propterea fetum ex utero post certum tempus exire ait, quia postquam ibi idoneum incrementum assecutus est, sufficiens alimentum non recipiens, & calorem habens majorem, qui aeris inspiratu indigeat, ut ventiletur, liberiorem locum quærere incipit, & calcitrando membranas, quibus includitur, disrumpit, uterumque distendit, unde ille irritatus onus sibi molestum excludere nititur. Alii vero caloris qualitate non attenta partus necessita-

ſitatem ab ipſo utero derivant, qui cum ulterius dilatari nequeat, excreſcenti fetui reſiſtit, vique ſua muſculari ipſum detrudit, & ejicit. Demum recentiores, qui non oſcitanter inveſtigationi rerum animum appulerunt, acu rem attigiſſe putant, atque ſub uno quaſi aſpectu poſuiſſe id, quod hujuſmodi difficultatem de medio tollit. Monent autem deglutiri jugiter a fetu humorem quemdam lymphaticum ex uterinis vaſculis expreſſum per os, œſophagum, atque ventriculum ad ipſa uſque inteſtina, & ad ſphincterem recti detruſum, adeo ut novem menſium ſpatio fiſtula inteſtinalis repleatur omnis hujuſmodi fæce, quæ meconium audit. Quia vero materia hæc ſemper aucta, expellique impos mole, pondere, & acrimonia fetum torquet & urget, ideo ſenſu moleſtiæ excitato huc illucque vertitur fetus ipſe irrequietis fibrarum motibus, qui & ejus caput ad exitum accommodant, & individuo conſenſu ipſi etiam matri teneſmum inferunt; qua pariter irritata, ejuſque abdominalibus muſculis ingenti vi convulſis, ſtimulo, nixuque duplici internum os uteri dilatatur, duplex involucrum abrumpitur, contentæ aquæ exeunt, ac denique per laxatum, latioremque factum vaginæ ductum ex aucto materno nixu

ma-

maturus infans extruditur. Hunc ipsum explicandi modum amplexus est etiam & tradidit neotericus instaurator medicinæ mechanicæ operum suorum parte alibi indicata, qui tamen humores etiam alios ex secernentibus adjectis visceribus in intestinalem fistulam immitti putat, materiem ore haustam augentes, ejusque usui affine munus obeuntes. Sed næ incertum adhuc est ac dubium id, cujus difficultatis amotæ fides alicui subblandiebatur. Nam cum fetus hic mirabilis, de quo sæpe meminimus, meconium extis recipiens nullum ex defectu foraminum excipientium, non excitante propterea meconii stimulo, in lucem prodierit, inde sequitur aliam ab ea, quæ fingitur, causam esse partus. Siquidem rei alicujus ea dicitur esse necessaria causa, quæ dum agit vel intercluditur, res ipsa emergit vel intercipitur, & cujus intellectus adipiscendæ scientiæ interest ultra modum. Id ut affirmetur auctor est Aristoteles ratiocinii perficiendi magister optimus, qui libro primo, capite secundo posterioris resolutionis Ἐπίστασθαι οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκὸς, ὅταν τὴν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστὶ, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ'

ἄλ-

ἄλλως ἔχειν, Scire, inquit, rem quamque credimus non per accidens Sophiſtarum more, quoties cauſam propter quam res eſt, ipſius cauſam eſſe cognoſcere putamus, & rem ſecus eſſe non poſſe. Igitur poſtremum illud, cujus cauſa latet abſoluta, inveſtigari potius, quam intellectum prædicari debet, idque non iniquo ferent animo ii, qui malunt innotuiſſe ſibi rem vel incommodam, quam diutius eſſe in errore. Refelluntur ſane ex uno hoc inſolitoque naturæ opere opiniones eæ, quæ rerum abdita detexiſſe videbantur; ſed raro fieri poteſt, ut figmenta hominum, quæ vel imaginatio exlex intulit, vel indiligens approbavit ratio, veritati poſtea prodeunti apprime congruant; quod ad cognoſcendum ſatis in aperto eſt.

F I N I S.

LETTERA

scritta dall'Autore della Dissertazione al Reverendissimo P. D. Giacomo Stellini pubblico Professore di Filosofia morale nell'Università di Padova.

Reverendiss. Sig. Sig. Patron Col.

UN feto straordinario nato nel paese, in cui ora io sono, mi ha invogliato di farne la storia, e penso di pubblicarla con le stampe, qualora siano legittime le conseguenze, che ne ho dedotte. Per accertarmi di questo, la trasmetto all'esame di V. S. R., come ho sempre fatto d'ogni mia cosa nel tempo ch'ebbi la fortuna di goder le di lei istruzioni. Attendo pertanto dall'ingenuità sua la decisione, e col maggior ossequio mi protesto

Di V. S. Reverendiss.

Corbolone 25. *Ottobre* 1765.

Umil. Divot. Obblig. Servitore
Sebastian Sebenico.

RISPOSTA.

Illustriſ. Sig. Sig. Patron Col.

1. *Novembre* 1765. *Padova*.

JEri l'altro mi fu data la ſua Diſſertazione. Scorrendola ho avuto il piacere di veder un autentico ſaggio dell'ingegno, e della dottrina ſua. L'occaſione di ſtenderla, che le ſi è preſentata, è di quelle, che per la loro rarità debbono avidamente abbracciarſi. La ſingolarità del caſo meritava d'eſſere regiſtrata, e fatta nota a tutti gli ſtudioſi della ſcienza, alla quale appartiene. La conſeguenza immediata, ch'ella ne tira, non può eſſere più certa ed evidente. Tal è parimente quella della linfa nutrizia rigettata come non neceſſaria a nutrire il feto. Il Drak l'aveva già valoroſamente combattuta del pari che dimoſtrata la comunicazione del ſangue della madre col feto per mezzo delle vene del funicolo umbilicale dopo l'eſperimento del Covvpero, che gettando del mercurio nell'arteria uterina d'una vacca lo vide paſſare nelle vene umbilicali. La terza riguardo a quelli, che

vo-

vogliono per la bocca nutrirsi il feto, è decisiva, ma per quelli, che lo vogliono nudrito del sangue della madre, il quale essendo più grosso di quello che convenga alla tenerezza del feto dee passando per esso depurarsi, e lasciare indietro delle parti inette alla nutrizione, forse non ha la stessa forza. Io mi congratulo con lei dell'opportunità, che ha avuta di esercitare il suo talento, e di farlo in modo, che le ne verrà dell'onore dalla parte degli amatori della Fisiologia, e della vera maniera di coltivarla, che è quella dell'osservazione. Ella segua a riguardarmi colla sua bontà solita, ed a credermi quale con tutta la stima me le rassegno

Divot. Obblig. Serv.
Giacomo Stellini.